

num, ut pacem inter illum & Regem faceret; quod Rex libenter annuit, si hoc faceret, quod Pippino Regi cum juramento patri suo promiserat, & denuo ipsi & filiis suis sub iurejurando firmaverat. Quod renuentes Legati Tassilonis, Adrianus Papa eum sub anathematis vinculo confringit, si aliter facere vellet. Tassilo promisit, & postea sefellit, & ad Regem venire contemnit.

XX. Karlus pergit Bajoariam, Tassilonem ex omni parte cum exercitu concludit; qui coactus venit ad Regem, renovat sacramenta, dedit obsides, & Theodonem filium suum, permittitur ei habere Ducatus: (52) qui postea convictus iterum de infidelitate. ejicitur de Principatu, & in Monasterio tonforatur.

XXI. (53) Karlus Sclavorum gentem, qui dicuntur Wilzi, trans fluvium (54) Helbia, ditioni suæ subegit.

XXII. (55) Karlus Avarorum gentem subegit armis.

XXIII. (56) Saxones iterum ad Idolatriam revertuntur.

XXIV. (57) Hac tempestate filius Regis Pippinus ex concubina Himildruda cum aliis quibus Comitibus Francorum consiliatur, ut Regem interficeret, & loco ejus regnaret. Quo comperto Rex Pippinum iussit tonforari, & cæteros ejus consentaneos diversis mortibus interfici.

XXV. Karlus direxit filios suos Pippinum & Hluduvvicum in Beneventum cum exercitu, factaque est famis valida, ita ut nec in Quadragesima à carnis esu abstineretur. (58) Per idem tempus Synodus congregatur ad Franconofurt.

XXVI. (59) Karlus in Saxoniam pergens Saxones obtinuit, & tertium de eis hominem in Franciam educens conlocavit. His temporibus Alcuinus Rhetor Britannicus, Diaconus & Abbas Monasterii Sancti Martini sanctitate & doctrina clarus habetur. (60) Adrianus Papa obiit, cui succedit Leo (61) XCVIII.

XXVII. (62) Hunnorum Legati ad Regem veniunt, Thesaurus adducunt; quos Rex Optimatibus suis distribuit, Legatos abire permittit.

XXVIII. (63) Pippinus Rex Italiae Pannoniam pergit.

XXIX. Karlus in Saxoniam Francos conlocat, Saxones inde educens cum uxoribus & liberis, idest tertium hominem.

XXX. Karlus iterum in Saxoniam pergit.

XXXI. (64) Per idem tempus Romani Leonem Papam de Pontificatu ejiciunt, ocu-

los eruere moliantur, linguam abscindunt, in custodia retrudunt, unde per Albinum Cubicularium noctu per murum infunde deponitur, ad Winigifum Ducem Spolitanum, qui circa Urbem cum exercitu confederat, pervenit, qui curam ei adhibuit, & in Saxoniam ad Regem dirigit; qui eum honorifice susceptum in Sedem Apoltolicam restituit, & Romanos, qui hanc tyrannidem exercuerunt, in exilium mittit.

XXXII. (65) Karlus Romam pergit; Leo Papa ante diem Natalis Domini tertium de omnibus, quæ à Populo Romano ei obiciebantur, coram Rege & Populo Francorum dato sacramento purificatur, & (66) in die Natalis Domini ante Milliarum solennia in Ecclesia Sancti Petri coram sacratissimum corpus ejus, Coronam Imperialem capiti Regis Leone Pontifice imponente, ab ipso Pontifice, & ab omni Populo Romano atque Francorum Augustus appellatur Anno incarnationis Dominicæ DCCC.

XXXIII. (67) Legatio (68) Græcorum ad Augustum veniens pacem petit. (69) Hraban Diaconus factus.

XXXIV. (70) Amormulus Sarracenorum elephantum unum cum aliis muneribus pretiosis dirigit. Paulinus Patriarcha Foriulienfis obiit, & Ratgarius (71) Abbas factus.

XXXV. (72) item legatio (73) Græcorum simul cum Legatis Imperatoris Karli, quos direxerat in Græciam, ad Villam Regiam, quæ dicitur Salz venit. Imperator pergit in Bajoariam; ibi venit legatio Avarorum, qui omnem terram Imperii sui sub ditione Imperatoris Karli subdunt.

XXXVI. (74) Karlus Imperator Saxones absque bello à propriis finibus expulso in Franciam conlocat. Alcuinus XIV. Kal. Maji obiit, & (75) Ricboto eodem anno moritur.

XXXVII. (76) Leo Papa iterum in Franciam venit.

XXXVIII. (77) Imperator Karlus inter filios suos idest Karlum, Pippinum, Hluduvvicum dividit.

XXXIX. Grimoaldus Dux Beneventanus moritur, & mortalitas maxima in Monasterio (78) Sancti Bonifacii, ita ut fratrum juniorum plurimi morerentur, & Eggi moritur, & Hutmam, & Meginrat Sanctorum aufugiunt pueri puerorum, & pessimè (79) custo consiliis pravis conviciis multis tunc lacerea erat.

XL. (80) Et Carlus filius Imperatoris Caroli perrexit cum exercitu Francorum in Winidos

(52) A. C. 788. apud Freherum. In Pitheana autem editione, refertur hoc perperam ad A. C. 787.

(53) A. C. 789. apud Pitheum & Freher.

(54) Helbia idem est atque Albis fluvius, qui vernaculo sermone nunc dicitur die Elbe.

(55) A. C. 791. apud Pith. & Freher.

(56) A. C. 793. apud Pith. & Freher.

(57) A. C. 792. apud Pith. & Freher.

(58) A. C. 794. apud Pith. & Freher.

(59) A. C. 794. apud Pith. & Freher.

(60) A. C. 796. apud Pith. & Freher.

(61) Quod Leo III. fuerit nonagesimus octavus Pontifex Romanus, testatur etiam Anastasius Bibliothecarius.

(62) A. C. 795. apud Pith. & Freher.

(63) A. C. 796. apud Pitheum & Freher.

(64) A. C. 799. apud Pith. & Freher.

(65) A. C. 802. apud Pith. & Freher.

(66) A. C. 801. apud Pith. & Freher.

(67) A. C. 802. apud Pith. & Freher.

(68) Item videlicet Imperatricis Constantinopolitanae.

(69) Rabanus Maurus.

(70) A. C. 802. apud Pith. & Freher. Utrobique autem pro Amormulus Sarracenorum legitur Avon Rex Persarum.

(71) Is est Ratgarius Abbas Fuldenfis. Vide Annales Francorum à Pitheo & Frehero editos ad ann. 802.

(72) A. C. 803. apud Pith. & Freher.

(73) Nicephori videlicet Logothetæ; Imperatoris Constantinopolitani.

(74) A. C. 804. apud Pith. & Freher.

(75) Is est Ricbodo, sive Ricboto, qui ex Abbate Laureshamensi factus est Archiepiscopus Treverensis. Vide Chronicon Laureshamense à Frehero editum in actis Annorum Dominicæ incarnationis 785. & 805.

(76) A. C. 804. apud Pith. & Freher.

(77) A. C. 806. apud Pith. & Freher.

(78) Hoc est Fuldenfis.

(79) Locus corruptus, de cujus emendatione & vero sensu nondum mihi liquet.

(80) A. C. 806. & 808. apud Pith. & Freher.